Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47060
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

Factum notatu dignum sub D. Melchiore Abbate.

Anno Domini Millesimo Sexcentesimo quarto, frater Engelhardus Agricola capitis dolore correptus, & in morbi quasi corruptus, nescio qua violenta arreptus phantasia, sibi non conscius, in nocte B. Mariæ Magdalenæ de strato surgens, per superiorem cellæ suæ fenestellam exiliit, in subiectum dormitorii hortulum delapsus. Erat in cella vicina & contigua ipsius dormiens P. Iacobus Mars professus Monasterii Salemitani, apud nos hospes. is tanto casu à somno expergefactus, alios quoq; excitans, dolenter clamat F. Engelhardum lapsu mortuum. Accurrunt omnes, & quem credebant territi, & quærebant mortuum; vivum & illæsum in mediis stantem imbribus læti conspiciunt, vestimentis fouent, ac in lectum perducunt. Sanitati & menti paulo post restitutus, diu ac laudabiliter superuixit.

Dominus Melchior Abbas optime de nro Monasterio meritus, æternaq; laude dignus est.

Non solùm, ut narratum est, materiale templum & Monasterium construxit, reparauit quasi collapsum, vetustate deformatum renouauit: verùm etiam in Spirituali Reformationis ædificio prima quasi fundamenta posuit. Vt multa alia silentio præteream, duo hæc præclara Reformationis fecit initia. Primò, cùm Fratres fere omnes proprietarii essent, iuxta monita S. Legislatoris nri Benedicti c. 23. reg. Præcipuè hoc vitium radicitus de Monasterio amputare studuit, ne quis præsumat aliquid habere proprium. Sciebat enim prudens Pater hoc vitium proprietatis esse virulentissimam Religionis pestem, quippe quæ infallibiliter annexam habet, & individuam comitem, concupiscentiam, quæ teste S. Paulo; ad Tim. 6. radix est omnium malorum. Vnde & necessaria tanquam Monasterii pater Fratribus ministrare cœpit.

Secundò, intelligens prudens Pater (erat enim vir mirae & singularis prudentiæ) ad inchoandum reformationis opus tanquam medium omnino necessarium, requiri homines idoneos ac litteratos; si n. cæcus cæco ducatum præstet, ait Christus Math. 15. ambo in foueam cadunt: quod antecessores non fecere, ipse suos Conventuales ad Academica Studia promouit, ac in iis Monasterii sumptibus liberaliter aluit, nil magis in votis habens, quàm vt piæ suæ voluntatis heredes post se relinquat, viros bonos & doctos, quorum conversatione mirificè semper recreatq; fuit.

Cultum diuinum, ut potuit, promouit.

Triplici ratione Dei cultum pius Pater promouere studuit. 1mo numero scilicet Sacerdotum & Conventualium, quem habuit maiorem, quàm omnes eius antecessores. 2do Musica, tam vocali, quàm instrumentali; nonnulli n. Fratrum buccinam, alii tubam inflare, alii Organo ludere ad ipsius voluntatem & ipsum didicerunt. 3to Vnatu paramentorum, quorum sat multa & pretiosa fieri curauit. Huc et spectant Sanctorum Reliquiæ, q ad ipsius instantiam vestitæ & condecoratæ se, partim Monachii, vt sunt illæ q duabus tabulis argenteis includi habentur, & à Serenissimo Wilhelmo Bauariæ Duce Anno 1652 ad Monasterium remissæ, in signum gratitudinis, eò quod ad Acidulas profectus, laute in nro